

ANN. XIX - FASC. VI

MENSE IUNIO MCMXXXII

ALMA ROMA



C. DEL VECCHIO.

QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus - Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Iunio MCMXXXII

Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De verbis eleganter addendis.

I. — Latini eleganter addunt nonnulla verba, quibus circumscribatur verbum praecipuum. Huiusmodi sunt:

1º) facio ut, committo ut, faciendum, committendum est ut, etc.,² quibus elocutio magis perspicua, magis praecisa, magis expressa aut saltem numerosa evadit; v. g.:

Invitus facio ut recorder (= recordor) ruinas reipublicae (Cic., *In Vat.*, 9).

Non est meum committere ut negligens videar (= videri) (Cic., *Fam.*, 39).

Faciendum mihi putavi, ut tuis litteris breviter responderem (Cic., *Ad Fam.*, III, 8).

2º) est, fit, accidit, contingit, evenit ut, fore, futurum esse ut, etc., quibus

actio verbi elucet aut plenius exprimitur;¹ v. g.:

Est ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi (Cic., *De or.*, II, 36, 152).

Eo fit ut impetus fiat in vacuam rem publicam (Sall., *Cat.*, 52, 23).

Cum accidisset ut mihi cum imperio in provinciam profici sci necesse esset (Cic., *Ep.*, III, 2, 1).

Non speraverat Hannibal fore ut in Italia populi ad se deficerent (Tit. Liv., XXVIII, 44, 4).

3º) videri,² existimare, putare, etc.; v. g.:

¹ Circuitio «fore, futurum esse ut» nunquam non adhibenda est, quum verbum utroque vel alterutro futuro infinitivi caret; v. g.: Video te velle in caelum migrare, et spero fore ut id contingat nobis (Cic., *Tusc.*, I, 34). — Caesar, si divinasset fore ut in senatu trucidatus iaceret (Cic., *De div.*, 2, 9). — Ptolemaeus mathematicus (astrologus) Othoni persuaserat, fore ut in imperium adscisceretur (Tacit., *Hist.*, I, 22).

² Cicero libenter addit verbum «videor» a) sive ad affirmationem mitigandam; v. g.: Qui ad omnia nostrae memoriae bella confida divino quadam consilio natus esse videatur (Cic., *De imp. Pom.*, 14, 42).

b) sive ad numerum elocutioni conciliandum; v. g.: Reliquum est ut de Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur (Cic., *De imp. Pom.*, 20, 59).

NB. — Praesertim in clausula apodoseos.

Restat ut de imperatore diligendo dicendum esse videatur (Cic., *Pro Leg. Man.*, 10, 27).

Adductus sum ut onus hoc mihi suscipiendum putarem (Cic., *Caecil.*, 2, 5).

4^a) coepi et interdum incipio, quae, cum infinitivo, ponuntur pro infinitivo historico; v. g.:

Per quendam fit certior. Primo neglere et contemnere coepit (Cic., *Verr.*, II, 22).

Cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnarent (Cic., *Verr.*, II, 17).

5^a) verba quae, in propositione subiecta, verbum aut aliud vocabulum praecipuum propositionis principis¹ explicant; v. g.:

A Pausania audiri quum diceret te esse questum quod tibi obviam non prodidisse (Cic., *Fam.*, III, 7).

Nobis magnum licentiam dat ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere (Cic., *De off.*, III, 4).

Me ratio ipsa in hanc sententiam ducit ut existimem... (Cic., *De divin.*, I, 1).

Populum in eum metum adduxisti ut pertimesceret... (Cic., *Pro Mur.*, 24, 48).

Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem (Corn. Nepot., *Milt.*, 1).

II. - In exclamacione qua argumentatio concluditur, Latini conclusionem legentium, audientiumve iudicio relinquunt, addendo verbum opinandi, ut: censem, putas,

¹ a) Frequens est hic pleonasmus cum verbo « dico », quo indirecta alterius oratio annunciatur, quamvis iam per alterum verbum annunciata sit; v. g.: Atque ita locutus est, ut auctoritatem vestram vitae sua dicere anteferre (Cic., *Phil.*, VI, 4).

b) Item cum verbis « puto, existimo, cogito » et similibus; v. g.: Cogitare quid exportatum putetis (Cic., *Verr.*, II, 75). — Facilius statuetis quid apud exteriores fieri existimetis (Cic., *Pro lege Man.*, 13).

tis, putas, putamus, existimabimus, etc., v. g.:

Quem enim ardorem studii censem, fuisse (= qui ardor fuit) in Archimedem! (Cic., *De Fin.*, V, 19, 50).

Quem concursum in oppido factum putatis, quem clamorem, quem porro fletum mulierum! (Cic., *De Sign.*, 23, 52).

III. - Quum duobus pluribusve nominativis aut objectis seu regiminibus unum verbum sufficeret, Latini unicuique proprium verbum libenter attribuunt. Quod multum confert ad elocutionis maiestatem et copiam et symmetriam.

Hoc suppeditat nobis ubi et animus reficiatur et aures conquiescant (Cic., *Pro Arch.*, 6, 12).

Formae dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate extinguitur (Cic., *Ad Heren.*, II, 27, 37).

Populus Romanus Numantiam delavit, Carthaginem sustulit, Corinthum disicit, Fregellas revertit (Cic., *Ad Heren.*, IV, 27, 37).

IV. - Quo melius eluceat notio verbi, duo aut etiam plura verba eiusdem fere sensus eleganter usurpantur; v. g.:

Colitur ea pars et habitatetur frequentissime (Cic., *De Sign.*, 53, 119).

Tueri et defendere (Cic., *De or.*, I, 38, 172).

Perpeti et perferrere (Cic., *De or.*, II, 19, 77).

Orare et obsecrare (Cic., *Pro Planc.*, 42, 104).

¹ a) Huiusmodi communicatio cum iis qui audiunt vel legunt non solummodo sit in argumentationis conclusione. Alibi etiam Cicero ea valde delectatur.

b) Saepe est interrogatio, non exclamatio; v. g.: Fidem eius quantum existimari putatis? (Cic., *Pro leg. Man.*, 14, 42). — Quid huic sacri unquam fore putatis? (Cic., *De Sign.*, 32, 71).

V. - Latine venustissime additur participium:

1^a) Ad notionem integre vel numerose vel vividius exprimendam; v. g.:

Sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant (Sall., *Iug.*, 71, 4).

Dedit ei facultatem res publica liberalitatis, qua usus multas sibi tribus adiunxit (Cic.).

Epistolam in pulvino positam sumit ac perlegit (Sall., *Iug.*, 71, 4).

2^a) ne substantivum substantivo per praepositionem subiicitur, quod, saltem generatim loquendo, vitare videntur; v. g.:

Expositus nobis sermonem Laelii de amicitia habitum (Cic., *De Am.*, 1, 3).

Pugna ad lacum Regillum facta (Tit. Liv., VI, 2, 3).

Adhibuit liberam contumaciam a magnitudine animi ductam (Cic.).

Statua ex aere facta (Cic.).

3^a) initio sententiae. Quod participium tunc est passivae vocis et repetit verbum in superiore sententia usurpatum; v. g.:

Bellum propter nos suscepistis. Suscep- tum quartum decimum annum iam pertinaciter geritis (Tit. Liv., XXVIII, 39, 3).

Edicunt, penes quem quisque sit Caesaris miles ut producatur. Productos palam in praetorio interficiunt (Caes., *Bel. civ.*, I, 76).

(Ad proximum numerum).

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

cundia (Cic., *Ad Fam.*, V, 9, 4). — Odium in hominem universum genus (Cic.).

b) Aut est substantivum verbale, vel saltem vim verbi habens; v. g.: Fugam ab urbe (Cic., *Att.*, VII, 21, 1). — Caduceator ab Antiocho (Tit. Liv.).

4^a) Quum praepositiones sunt « cum » aut « sine » et indicatur possessio vel privatio; v. g.: Stesichori statua cum libro (Cic., *Verr.*, II, 2, 35, 87). — Lectio sine ulla declaratione negligo (Cic., *Tusc.*, II, 3, 7).

5^a) Quum exprimitur relatio temporis vel loci aut alia id genus relatio; v. g.: Omnes ante Socratem philosophi (Cic., *Acad.*, I, 4, 15). — Statuae propter aedem Vulcani (Cic., *Verr.*, II, 2, 61, 150). — Pugna navalis ad Tenedum (Cic., *Pro Mur.*, 15, 33). — Mentis ad omnia caecitatem (Cic., *Tusc.*, III, 5, 11).

1^a) Pro participio verbi praecedentis quandoque usurpant participium cognatae significationis; v. g.: Patrem iugulastis. Occisum in proscriptorum numerum retulisti (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 11, 32).

b) Participium potest esse absolutum; v. g.: Caesar facit pugnandi potestatem. Potestate facta, Afranius copias educit (Caes., *De bel. civ.*, I, 41, 3). — Regem in paelio obruncat et spoliat. Duce ostium occiso, urbem capit (Tit. Liv., I, 10, 4).

Sequitur superbos ultor a tergo Deus.

Non est ad astra mollis e terris via.

Quae fuit durum pati, meminisse dulce est.

SENECA.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

Coemeteriorum christianorum notitiae antiquissimae.

Prima christianorum huiusmodi monumentorum notitia, ex ipsius celeberrimi Ioannis Baptistae De Rossi sententia, ad annum spectans ccccl, kalendario cuidam Polemii Sylvii inserta appetat, quod unice in Bruxellensi quodam codice asservatur.

Ibi, post indicem «monumentorum notabilium quae sint Romae», haec leguntur: «Insularum quadraginta v millia, extra horrea publica ccc, domus nobiliorum et fanorum aedes atque pistrina sive religiosa aedificia cum innumeris cellulis martyrum».

In quodam syriaco codice autem bibliothecae Vaticanae, anno circiter dxl conscripto a quodam Zaccaria rhetore armeno, postea ad episcopalem dignitatem electo, cuius editionem Angelus Mai, clarissimus ille Pater Purpuratus, curavit, haec occurunt: «Apostolorum ecclesiae xxiv... sepulcra vñ, in quibus congesta sepeliuntur cadavera»; verba valde quidem obscura, nam ad puticulos tantum referuntur, qui cum polyandriis non sunt confundendi, quum haec veluti exceptiones apud Christianos fuerint. Zingerlius ita putavit textum syriacum esse interpretandum: «Sunt in ea ecclesiae Apostolorum beatorum, ecclesiae catholicae xxiv... sunt in ea loci sepulturum, ubi congregantur et sepeliunt, quinque millia»; quae lectio, si minus quam illa videtur obscura, ne ipsa quidem perspicua dicenda est. I. B. De Rossi vero, quo erat acumine, hisce ex indiciis deduxit, ante annum dxl Notitiam quandam regionum Urbis non defuisse; quam si non invenit, ad aliam nihilo minus eius labor inveniendam notitiam adduxit illi parem; nam, inter, alia mentionem coeme-

teriorum faciebat, hoc sub titulo: *Cimiteria totius Roman* (sic). En magni momenti indicium:

«Cimiterium Prisallae (Priscillae) ad sanctum Silvestrum via Salaria.

Cimiterium Iordanorum ad sanctum Alexandrum via Salaria.

Cimiterium Pretextati ad sanctum Ia-
nuarium via Appia.

Cimiterium Domicile (Domitillae) Nerei
et Archilei (Achillei) ad sanctam Petro-
nillam via Ardeatina.

Cimiterium Catacumbas ad sanctum
Sebastianum via Appia.

Cimiterium Calisti ad sanctum Sistum
via Appia.

Cimiterium ad duos lauros ad sanctum
Petrum et Marcellinum via Lavicana.

Cimiterium Balbinae ad sanctum Mar-
cum et Marcellianum via Ardeatina.

Cimiterium ad sanctam Columbam ad
caput sancti Ioannis ad clivum cucumeris.

Cimiterium ad insalatos ad sanctum
Felicem via Portuensi.

Cimiterium Pontiani ad ursum pilea-
tum Abdon et Sennen via Portuensi.

Cimiterium Bassille ad sanctum Her-
men via Salaria.

Cimiterium Basilei ad sanctum Marcum
via Ardeatina.

Cimiterium Commodillae ad sanctum
Felicem et Adauctum via Ostiensi.

Cimiterium Calepodii ad sanctum Calix-
tum via Aurelia.

Cimiterium Trasonis ad sanctum Satur-
ninum via Salaria».

De Rossi hunc indicem mutilum putat, eo quod sexdecim tantum coemeteria in eo recenseantur, nullo facto verbo de via Flaminia, Nomentana, Tiburtina, Latina.

Florentinus, in notis *ad Hieronymianum*, loquitur de quodam codice Haedino in quo viginti et unum coemeteria numerabantur. Exeunte superiore saeculo, Marianus Rampolla, Pater Purpuratus, novum coemeteriale Romanum invenit indicem,

anno MCCCCLV ex alio codice bibliothecae Nicolai V transcriptum, quo numerus coemeteriorum ad decem septemque agebatur, contra id quod I. B. De Rossi eiusque schola existimabant; verum ex adverso absolutumque accipendum eminentissimus inventor demonstravit, qui omni ex parte catalogum illustravit, atque *πρωτότυπον* huiuscemodi documentorum ad aetatem usque Liberii (CCCLII-CCCLXVI) esse adseruit.¹

Ceterum index, quem supra descripsimus, a I. B. De Rossi inventus, plurimi faciendus est, licet vitiis laboret: immo Wilpertii explorationes deinde in coemeterio Callisti habitae, illum non ita madosum atque I. B. De Rossi putavit commostrarent. Eius aetas saeculum vi non superat.

Eiusdem aetatis est probabiliter *Index oleorum*, quem vulgo Itali *il papiro di Monza* appellamus; documentum topographicum summi pretii, ubi non quidem coemeteria, sed ipsa martyrum sepulcra numerantur, eodem plus minusve ordine quo a peregrinantibus visitari poterant. Eius auctor «abbas Iohannes» quidam exstitit, qui exeunte saeculo vi Romam venit martyrumque reliquias quum a Gregorio Magno obtinere nequivisset (non dum enim Romae usuvenerat sanctorum corpora dividi vel transferri), Pontifice tamen concedente, ex lampadibus ad martyrum sepulcra accensis olea in ampullas colligit, easque Theodolindae, Langobardorum reginae, dono dedit. Pittacia autem ampullarum describi curavit in membrana sic inscripta: *Notitia de olea* (sic) *Ss. Martyrum qui Romae in corpore requiescant, id est...* (sequitur laterculus nominum). *Quae olea sancta... adduxit Iohannes indignus et peccator dñe Theodolindae reginae de Roma.* Optima huius indicis editio ea est, quam Cajetanus Marini cura-

vit,² neque sublatae sunt leves quaedam topographicis ordinis discrepantiae perturbationesque, archaeologorum ingenia adhuc torquentes. Sed de hisce non est hic locus disserendi; id unum notandum, aut indicem hunc non fuisse integre redactum, aut ipsum Iohannem peregrinationem non perfecisse, quum nihil de viis Portuensi, Latina, Lavicana et Flaminia in indice appareat. Marinius autem hoc documento feliciter uti nescivit, scilicet animo non reputavit illud cum *Itinerariis* esse conferendum, quemadmodum I. B. De Rossi fecit; ideoque inde nullam utilitatem practicam percepit.

Quae quidem *Itineraria* re atque fine topographicis sunt documenta ad Romanum martyrum pertinentia. Horum primum,

quod in lucem prodiit, illud fuit, cui *Malmesburgense* nomen inditum, ex historico Willelmo Malmesburgensi, qui saeculo xii *Gestis regum Anglorum* inseruit, quum de peregrinantibus atque Crucesignatis «apostolorum limina», Urbano II pontifice, adeuntibus narraret. Novit illud Antonius Bosius, at serius: namque ordini topographicis ab ipso constituto mutationes minime illatae sunt, quae ex novo documento apponi debuissent.²

Secundum apparuit quod *Einsiedlense* vocatum est, quia in bibliotheca Einsiedlensis monasterii inventum, atque Mabillonus, anno MDCLXXXV, in vol. IV operis sui, cui titulus *Vetera analecta*, vulgavit. Blanchini novam eius curavit editionem una cum Malmesburgensi, quae Mabilloni mendosam editionem non parum superavit; tertia denique editio satis correcta Haelnelii cura prodit.

Huius veluti pedissequa topographia, seu itinerarium hoc titulo apparuit: *De locis*

¹ GAETANO MARINI, *I papiri diplomatici raccolti ed illustrati*. - Roma, 1805.

² Optimus *Malmesburgensis* textus ad fidem antiquorum codicum exaratus Londini in lucem venit anno 1840, ex recensione TH. DUFFUS HARDY.

¹ Di un catalogo cimiteriale romano e di una biografia di S. Melania. - Roma, 1900.

*sanctorum martyrum quae sunt foris civitatis Romae, ab Eekarto inventa, in quadam Würzburgensi codice, qui eam, anno MDCCXXIX, in *Commentariis de rebus Franciae orientalis* edidit.*

Illa quoque antiquitatis cultoribus qui I. B. De Rossi praecesserunt, ignota fuit; De Rossi vero, statim atque illius exemplar prae manibus habuit, desiderio accensus archetypum exemplar examinandi, quod Eckarti editioni inservierat, illud in duobus exemplis non parum inter se discrepantibus, manu autem saeculi IX vel X conscriptis, apud Vindobonensem bibliothecam comperuit. Praeterea in aliud Italicus magister incidit eiusmodi documentum, titulum p[re]se ferens: *Notitia Ecclesiarum urbis Romae*, magni quoque momenti, inque diversas denique editiones diversaque manuscripta illorum *Mirabilium Urbis Romae*, quorum antiquissimum saeculo XII descriptum, aliud manuscriptum vetustius correctiusque supponit.

Lectorem humanissimum, plura atque intimius cupientem de praefatis documentis aliisque ad rem facientibus (*Acta Martyrum, Calendaria, Martyrologia, Traditiones, etc.*) – cognoscere, ad opus aere perennius insignissimi I. B. De Rossi, cui titulus *Roma sotterranea* delegamus. Unum addimus: si documenta illa ad amissim essent redacta, nulla inter ea discrepantia intercedere, nullumque superesse dubium deberet de cuiuslibet coemeterii situ in I. B. De Rossi topographicis descriptionibus. Sed contra accedit; nam, praeterquam quod eorum errores summi magistri mentem indesinenter exercuerunt, quum ipse, rerum collatione, ad concordiam ea reducere cum monumentis conatus esset, in paucis corrigendis, quae ipse menda putabat, et ipse erravit. Itaque quum topographica pars exhausta et fere confecta videbatur, nova eruta documenta errores patescerunt novaque topographica problema excitarunt.

S. S.

EX BATAVIA.

De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXXI

Accepimus, et libenter edimus:

De viginti tribus carminibus ad Regiam Academiam Disciplinarum Nederlandicam in poëticum certamen Hoëufftianum anni MCMXXXI missis ita est iudicatum:

Praemium aureum reportavit nemo. Sumptibus legati in volumen recipientur carmina, quorum titulus: *Ruris desiderium et Eucharisticum*, si poëtae eorum scidularum aperiendarum dederint veniam.

En Carminum index: 1. *Pugiles*. 2. *Apes*. 3. *Feriae sacrae*. 4. *De lege latina in Italia*. 5. *Eucharisticon*. 6. *Mater dolorosa*. 7. *Fidei flos*. 8. *Sermo*. 9. *Martyres*. 10. *Ad astra*. 11. *In Christum regem*. 12. *Memnisce iuvabit*. 13. *Altera Roma*. 14. *Victor*. 15. *Nox Natalicia*. 16. *Saxosi cultor agelli*. 17. *Finis Aquileiae*. 18. *Lucretius*. 19. *Carmen Italo Balbo dicatum*. 20. *Ruris desiderium*. 21. *Mater dei*. 22. *Daedalus*. 23. *METEOPA*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita, argumentive privati, nec quinquaginta versibus brevioria, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXXIII mittantur *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transscribendo portabile prelum britannicum (*type writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciens typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiendarum venia dabitur. Id autem ante Kal. Iulias proximas fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur; quo facto, scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die 1^a m. Mai MCMXXXII.

P. SCHOLTEN
Ord. lit. acad. reg. ab actis.

HORAE SUBSECIVAE

Carducci ad fratrem carmen latine redditum.

O qui florigeri dormis in vertice Tusci collis, ubi et recubant ossa sepulta patris, nonne, modo, frater, tumuli sub gramine ad praedulcis sonuit vox gemebunda tuas? Te meus appellat, pulsans tua limina, natus infernasque petens, pallida imago, domos. Ille iterans magno et sancto te nomine, vitae,¹ quod tu fugisti, munus et ipse fugit. Non fugit, heu! dum ludit enim per florea saepa, iucundis mentem captus imaginibus, terrifica est subito mortis circumdatus umbra egelidasque tuas iussus adire domos. Comiter excipias: avidos convertit ocellos nam soli et matrem nomine saepe vocat.

¹ Carducci poëtae frater erat, cui nomen Dantes, qui sibi heu! mortem concivit. Tres post annos poëtae filius natus est, cui Dantes nomen est impositum et qui trimus obiit anno 1870.

Carducci ad Vergilium carmen latine redditum.

Ut quando impendens campos aestate perustos nocturno recreat luna benigna gelu, perque viam resonat, candenti lumine rivos percussus, rutilans alveo in exiguo, secretaque latens umbra philomela serenum praedulci caelum carmine nocte replet, allectus cantu sisit flavamque viator caesariem, qua arsit pectore, mente agitat, orbaque ploratus genetrix quae fudit inanes ad nitidum caelum lumina de tumulo elevat, atque animum concepta luce serenat, interea rident mons pelagusque procul, et querula arboreis blanditur frondibus aura: tale tuum carmen, dive poëta, mihi.

Moschi idyllium latine.

Hespere, dilectae Veneris pulcherrime splen- [dor, Hespere, caeruleae noctis imago sacra, qui lunae cedis, quanto tibi sidera cedunt, salve! Per noctem, nam cito luna cadet, tu mihi dilecti pastoris tecta petenti, Hespere, pro luna funde cadente iubar. Non a me insidiis petitur furtisque viator; ast amo: dignusque est qui redametur amans.

Aliud eiusdem.

Cum leviter blandus glaucum zephyrus mare [crispat, ad mare corde feror. Mihi tum quasi terra [molesta est, et multum pelagi requies me invitat amica. Sed quando miscentur aquae resonantibus [undis spumantesque fremunt rabidi super aequora [fluctus, tum, pelagus fugiens, terram silvasque vi- [rentes, venti etsi validi tellurem turbine perlant, exopto tantum, pinus nam cantat ad auras. O miseram illorum vitam, durosque labores,

*queis domus est navis, mare opus, fugiti-
[vague pisces]
praeda! Mihi placeat tranquillos carpere
[somnos]
alta sub platano, lenemque audire susurrum
vicini fontis, qui, currens murmure grato,
nil formidandus, multum delectat agrestes.*

ACASTES BRESCIANI.

COLLOQUIA LATINA

IX.

Reditus domum et lusus pueriles.¹

CLELIA, TULLIOLUS, MATER, SCIPIO,
LAURENTIUS.

CLELIA. – Prospere redieris, Tulliole. Libetne animo tuo paullisper lusitare? TULLIOLUS. – Nondum statim. CL. – Quid habes negotii?

TULL. – Recolere quae magister ut memoriae commendarem mandavit.

CL. – Quae tandem?

TULL. – Aspice.

CL. – Hui! quae notae sunt istae? Credo esse formicas depictas. Mea mater, quot formicas et culices afferit Tulliolus pictas in tabella!

TULL. – Tace, insana; sunt literae.

CL. – Qui vocatur haec prima?

TULL. – A.

CL. – Cur prima est magis A, quam haec altera?

MATER. – Cur tu es magis Clelia, quam Tulliolus?

CL. – Quia sic vocor.

MAT. – Et illae literae ad eumdem modum. – Sed ito iam lusum, mi fili.

TUL. – Hic pono tabellam meam et ra-

dium: si quis attigerit, punietur a matre. Nonne, mea matrcula?
MAT. – Etiam, mi fili.

TULL. – Scipio, Laurenti, adesto lusuri.

SCPIO. – Quam lusionem?

TULL. – Nucibus ludemus ad coniectum

scrobiculi.

LAURENTIUS. – Non habeo nuces, nisi paucas, et eas quassas ac putres.

SCIP. – Ludamus putaminibus nucum.

TULL. – Quid mihi ea proderunt, etiam si lucrer viginti? Nullus est intus nucleus, quem edam.

SCIP. – Ego vero, dum ludo non comedo; si quid volo comedere, matrem adeo. Ista nucum putamina sunt apta ad extruendas formicis aediculas.

LAUR. – Ludamus par impar aciculis.

TULL. – Adfer potius talos.

SCIP. – Adfer, Laurenti.

LAUR. – Ecce vobis tali.

TULL. – Quam sunt pulverulenti et immundi! – Iacias.

SCIP. – Pro primatu ludendi.

TULL. – Ego sum primus.

MAT. – Quae est ista humi abiection?

Deteritis vestes omnes, et calceos, tum loco immundissimo: quin verritis prius pavimentum et sedetis? Heus tu, puella, adfer scopas.

TULL. – Quae erit ludi sponsio?

SCIP. – Acicula in singula puncta.

TULL. – Immo bina.

LAUR. – Ego non habeo aciculas; deponam, si vultis, pedunculos cerasorum pro aciculis.

TULL. – Apage. Ludamus ego et tu, Scipio.

SCIP. – Ego ausim sorti meas aciculas credere.

TULL. – Da mihi talos in manus, ut iaciam primus. En, vici sponzionem.

SCIP. – Minime vero, nam non ludebas serio.

TULL. – Quis unquam ludit serio? Ceu dicas album nigrum.

SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE SENSO OCULI HUMANI CUM SENSO LAMINAE
PHOTOGRAPHICAE COMPARATO.

Nuper in lucem prodit conspectus nebularum cosmicarum obscurarum, quae a Patre Hagen in Specula Vaticana fuerant observatae.

De natura quadam et origine harum nebularum nil certum adhuc dici potest.

At de earum existentia iam non amplius dubitari potest, quamvis omnes conatus ad eas photographice exprimendas hucusque inane evaserint.

Constat igitur oculum humanum, saltem in aliqua regione spectrali, ad percipiendam debilissimam luminositatem superficiariam, maiore gaudere sensu quam laminam photographicam.

Hoc factum, quod primo intuitu incredibile videbatur, a dre. Hopmann, rationibus ex physica et physiologia depromptis, confirmatum est.

Ulterius rem indagavit in urbe Kiel astronomus Hobbe per experimenta in officina physica peracta. Parvus discus vitri lactei, usque ad limitem visus pro oculo illuminatus, adhibebatur tamquam nebulosa artificialis, quae photographice exprimebatur ope potentis apparatus et laminarum ultrasensibilium, interpositis filtris, in diversis spectri coloribus, quos oculus percipere potest.

In singulis casibus perceptibilis effectus secutus est; pro diversis tamen spectri partibus expositionis tempora ad minimum effectum requisita variabantur inter 6 et 130 horas. Namvero si discus ille vitreus fuisset illuminatus solummodo usque ad limitem visus pro oculo ad telescopium

*Absentem laedit cum ebrio qui litigat.
Avarum irritat, non satiat pecunia.
Consultor homini tempus utilissimus.
Cui plus licet, quam par est, plus vult quam licet.
Equo currenti non opus calcari.
Ferrum, dum in igne candet, cuendum est.*

P. SYRUS.

¹ Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

(non, ut in experimentis, pro oculo nudo) certe illa tempora decupla habenda fuisse.

Hinc manifeste apparet tempora expositionis hucusque usitata, ad photographice exprimendas nebulas cosmicas obscuras, fuisse multo nimis brevia.

Practice tamen expositiones horarum 50 et amplius fieri non possunt. Igitur ad diminuenda ista tempora necesse erit ut instrumentis photographicis multo potentioribus, quorum lentes obiectivae habeant superficies refringentes numero minimis, ne per frequentes lucis reflexiones efficiatur tum claritatis diminutio, tum praecox in laminam photographicam coloris inducio, per lumen dispersum.

I. STEIN.

DE AEQUATIONIBUS EINSTEINIANIS PRO UNIVERSO STATICO.

Alias locutus sum de modo quo inertia illius substantiae materialis, qua constituitur spatum physicum, manifestari debet in statuendis aequationibus «gravitationalibus» universi.

Notum est enim aequationes primitus ab Einstein propositas pro universo statico non aptari ad solutionem, sed introducendum esse terminum quem cosmologicum dixit, et per literam *lambda* significavit.

Quod in aequationibus einsteinianis deerat, dixi suppleri posse per inertiam illam, de qua alibi etiam locutus sum.

Modum tamen istam inducendi in aequationes nolui tunc definire.

Sed quum de hac re nonnulli mihi suadere studuerint ut acutius quaestionem tangerem, addam hic id quod primum mihi cogitanti in mentem eluxit.

Notum est «tensem energeticum» includere tum energiam fluentem, tum materiei pressionem, et difficultatem exsurgere tantum pro sitis in quibus haec ultima

evanescit: nam tunc ex aequationibus solutis evanescit et ipsa energia fluens.

Sed sumas pressionem materiei exsurgere non solum ex materia ponderabili, qua corpora constituantur, sed etiam ex illa materia primigenia, universalis, qua spatium reale constituitur: hanc nullibi evanescere facile persuasum habes.

Duplicem proinde partem contineat terminus per ρ generatim significatus, primam per ρ_m significes, secunda per ρ_s in locis a corporibus dissitis, ad nihilum prima reducitur, secunda autem integra permanebit.

Haec autem aequationum solutioni bene sufficit, et hypothesis universi statici non ruit.

I. GIANFRANCESCHI.

DE RADIATIONIBUS MITOGENETICIS ET DE «EFFECTU STEMPELL».

Constat, si in solutione iuris bicromatum kali vel ammonicum continente, guttam nitrati ex argento cadere faciamus, annulos idem centrum guttarum habentes, bicromati ex argento innasci. Hi sunt notissimi annuli a Liesegang dicti, res plurimarum scientiae pervestigationum.

Anno 1929 hi annuli a Stempell ut naturalis ratio ad radiationes mitogeneticas Gurwitsch detegendas, anno 1922 inventas, de quibus in pluribus scriptis tractandi occasionem habui, synteticis vel meis, in usu fuerant. Is annulos Liesegangi nascentes pulsi coepae supposebat, et observabat annulos, qui in linea «rotundationis» degent, frangi, interiores integros manere.

In experimentis contra factis, phaenomenon non eveniebat. Huic phaenomeno inditum est a Maxia nomen «Effectus Stempell».

Scientiae pervestigationes de hac materia multae et variae acceptae fuerunt.

Annulos Liesegangi bacteriis photogenis (*Bacillus Pierantonii Zirpolo*) et gemmis Elacagni supposui, laminam ex cellulosa aut quarzo interponens. «Effectus Stempell» magna evidencia fieri animadvertere potui. Agentibus photobacteriis annuli externi Liesegangi, atque maxima pars ex interioribus, frangebantur.

Parvi cumuli bicromati ex argento fusco positionem fere idem centrum habentem, sed omnes incompositi, occupabant.

Similes formationes annularum in actione Elacagni observare non potui. Gutta nitrati ex argento aliquem levem annulum inusitatum aliquo loco offerebat. Ex his primis per vestigationibus deduci potest, annulos Liesegangi rationem esse non omittendam quum radiationibus mitogeneticis studeamus.

G. ZIRPOLO.

NOTITIAE.

DE RATIONE INTER UNITATEM ELECTROSTATICAM ET ELECTROMAGNETICAM.

Huius rationis valor a pluribus determinatus est diversis adhibitis methodis.

Valor ab Abraham datus pertingit ad 3.0001 per decem ad decimam, a Sir Frank Smith ad 2.998.

Recens a Thornton et Thomson per observationem attractionis ellipsoidis in campo altae tensionis computatur ad 2.996.

DE NOVIS USIBUS AMPULLAE ELECTRONICAE.

Praeter introductionem ampullae electronicae in «radiocommunicationibus», quae tamquam rectificatrix, vel amplificatrix, vel auto-oscillatrix sit, notum est eam applicari etiam posse ad correctionem electricae currentis intensioris, et ad interruptionem fluxus electrici.

Sub hac ultima forma, ampulla inducitur a General Electric Company ex

Statis Foederatis Americae, sub nomine *Thyretron*, et multiplicibus usibus inservit, ut in «ferruminatione intermitte», et in «trafiliera cuprica».

Recentius, per cellulam photoelectricam adiunctam, novi etiam usus obtenti sunt, quotiescumque phaenomena cum lucis intensitatis variatione connectuntur, ut numeratio transeuntium per viam, vel curruum, vel scissorum bacillorum in laminario, aut in mensura turbiditatis in liquido, vel etiam ad automaticam accensionem lampadum quum deficiat lux diurna, tum denique ad decernenda vel semina, vel quaecumque obiecta ex varietate colorationis vel illuminationis.

DE NOVA METHODO PRO INSCRIPTIONE ET ANALYSI SONORUM.

Die quinta mensis aprilis p. e. in Instituto Physico Romae Prof. K. W. Wagner, director Instituti Hertz Berolini, dissertationem habuit de analysi ab ipso incopta de sonis musicis.

Mensura intensitatis fit per instrumentum, quod automatice pressionem a nota exercitam scribit.

Ratio inter maximam et minimam pressionem uniuscuiusque soni assumitur ut «dynamica» ipsius soni.

Pressio autem mensuratur per *dynas* per quadrum centimetrum agentes, hoc est *microbary*; potentia resultat proportionata ipsi pressioni quadratica; soni intensitas, vel volumen, ut dici solet, assumitur ex logaritmo quotientis duarum potentiarum, qui proinde aequat logarithmum duplicem quotientis pressionum. Frequentia quae assumitur ut normalis pro sonis est frequentia millium periodorum.

Dispositio experimentalis includit microphon et eius amplificationem, ex illo duos circuitos procedentes, qui opportuna correctione muniti, apti sunt, tum ad maximam, tum ad minimam intensitatem,

relate ad quamdam praecipuam dispositio-
nem currentis nullius, inscribendam.

Amplificatio autem talis est ut per pro-
portionem linearem intensitati respondeat.

Diagrammata varia, quae Auctor pro-
posuit, singularem fidelitatem ostendunt
in reproductione sonorum, valde melius
quam ordinaria mechanica inscriptio gram-
mophonica.

DE ALTISSIMUS NUBIBUS.

Prof. C. Störmer ex urbe Oslo nuper
edidit relationem inquisitionis ab ipso initiae
circa altitudinem dissitarum nubium.

Iam ab anno 1890 animadverterat sin-
gulares quasdam nubes peculiarem iride-
scientiam praebentes « matre perlaceam ». Anno 1927 per duplum imaginem photo-
graphicam, ex Oslo et Oskarsborg, deter-
minare potuit altitudinem nubium, quae
26 vel etiam 30 kilometra attingebat.

Plures vero imagines colligere potuit
anno 1928 nubium inter 23 et 26 kilometra
altitudinis.

Ordinariae nubes inveniuntur tantum
usque ad 10 kilometra.

NOTITIUNCULAE VARIAE.

— In officina Instituti Carnegie in urbe
Washington recens obtentae sunt repro-
ductiones photographicae de condensatione
vaporis aquei per transeuntes protones
velocissimos.

Huc usque huiusmodi reproductiones
habebantur tantum ex particulis *alfa* a
substantiis radiactivis emissis.

— Excitatio radiorum *X*, recentius ob-
tentia in Instituto Technologico Massachus-
etts, pertingit usque ad decem milliones
voltarum.

— In recentissimo numero commen-
tarii cuius titulus *L'Aerotecnica*, G. Mon-
telucci refert de experimentis in ferrumi-
natione per unionem cadmii et zinci.

Methodus apparet vere bona, et applica-
tiones multiplices.

— Ex inquisitionibus in Anglia institu-
tis anno elapsi, de regionibus circa maiores
urbes, deducitur pondus pulveris ex
aere depositi super aream unius chilo-
metri quadrati durante anno, pertingere
ad septuaginta tonnes (200 pro miliario
quadrato).

— Ex experimentis a G. Luchetti ductis
constat carbonium in pulverem redactum
valde prodesse vegetationi pro herba me-
dica et pro ordeo.

Idem statuerunt Bonuccelli et Mon-
sacchi pro foliis nicotianis, quae faciliorem
acquirunt adustionem.

Optima ratio mensurae apparet esse
trium « quintalium » per « ectaram » terrae.


— Honoratus Verona detexit novas for-
mas micetorum in pandanaceis Australiae
et haec nomina eorum: Phomatospora
paudani; Phoma paudani.

Inveniuntur in foliis siccis paudani pe-
dunculati R. var. Stradbrookeana Martelli
et paudani odoratissimi L.

— Undae electricae brevissimae re-
center in applicationibus therapeuticis in-
ductae sunt a Societate *Siemens und
Halske* in Germania.

Frequentia adhibita est quinquaginta
millionum, et « diathermitas » huiusmodi
undarum apparet longe maior quam quae
longiorum undarum.

— Wimshurst, cuius machina electro-
statica in omnibus scholis invenitur, ortus
est die 13 aprilis anno 1832. Eius natalis
centenaria dies proinde nuper exstitit.



SOCIIS MONITUM.

Socios, qui commentarii huius an-
nuum pretium nondum solverunt, roga-
mus velint cum Administratore nostro
rationes suas quamprimum exaequare.

ROMA SACRA

**Ssini D. N. PP. XI litterae encycliae
de praesentibus humani generis
aerumnis.**

Datis die III mens. Maii et eodem mense
exeunte vulgatis novis encyclicis litteris,
Pius PP. XI, caritate Christi compulsus, ite-
rum ad orbem universum provocavit ut, vi-
ribus amice consociatis, calamitatibus quibus
civilis societas nunc premitur atque vel gra-
vioribus in posterum ingruentibus, omnes et
singuli, quacumqua possunt ope, obsistere
contendant.

Quae quidem litterae trifariam dividuntur.
In prima earum parte velut in tabulis unde-
quaque perfectis humanis generis aerumnis
describuntur. Hac tempestate — ait — « homi-
num genus universum cum pecuniae caritate,
tum rei oeconomiae angustiis adeo comprim-
itur, ut, quo magis se expedire nititur, eo
inextricabilius irretitum experiatur; ex quo
fit, ut iam nulla sit natio, nulla Civitas, so-
cietas aut familia nulla, quae vel ipsa cala-
mitatibus levius gravius non obruatur, vel
aliena ruina in praecips raptari non videatur.
Quin immo ii ipsi, pauci profecto, qui quum
ingentissimis divitiis praediti sint, mundi gu-
bernacula regere videntur; ii, porro perpauci,
qui immodico quaestui servientes, tantorum
malorum, magnam partem, causa et fuerunt
et sunt; ii ipsi — iniquimus — haud raro iisdem
hisce malis in honeste obruuntur primi, pluri-
morum bona fortunasque in suam perniciem
rapientes; adeo ut, tremendum in modum,
de orbe terrarum universo comprobatum vi-
deamus, quod de singulis flagitiosis homi-
nibus Spiritus Sanctus ea sententia edixerat:
« Per quae peccat quis, per haec et torque-
tur... »¹ At vero radix ipsa, ex qua tristissima
repetitur rerum conditio, multo magis deplo-
randa; etenim si nullo non tempore Spiritus

Sancti sententia, per Paulum Apostolum pro-
mulgata, aptissime rei congruere visa est,
« radicem » videlicet « omnium malorum cu-
piditatem » esse, ¹ at nunc quam maxime.
Nonne enim illa fluxorum bonorum aviditas,
quae vel ab ethnico Poëta iure merito « auri
sacra fames » sugillata est; nonne sordidum
illud suarum tantum rerum studium, quo unice
movente persaepe sive singulorum sive so-
ciatum inter se necessitudines instituuntur;
nonne denique cupiditas, quocumque demum
nomine aut forma appelletur, in causa po-
tissimum est, cur hominum genus ad extre-
num discrimen adductum miserantes conspi-
ciamus? Hinc siquidem mutuae suspicionis
surculi, cuiuslibet humani commercii vigorem
enervantes; hinc invidiae faces, sibi damno
aliena bona imputantis; hinc sordes proprii
amoris immodici, omnia in sui unice com-
modum ordinantis ac subicentis, aliorum
commodo, nedum neglecto, conculcato; hinc
denique iniqua rerum perturbatio imparque
bonorum partitio, qua fit ut civitatum opes
in perpaucorum hominum privatorum mani-
bus coacerventur, qui... immenso cum popu-
lorum detimento, totius orbis commercia ad
suum libitum moderantur.

« Quod si legitimo in patriam studio abu-
tens debitaeque erga suam Nationem pietatis
sensus plus aequo extollens (quam quidem
pietatem rectus christiana caritatis ordo,
nedum improbet, at suis normis sanctam vi-
vacioremque efficit), nimius id genus sui
suorumque amor in mutuas inter populos
rationes ac necessitudines subrepserit, nihil
iam erit tam abnorme, quod culpa carere
non videatur; adeo ut quod facinus a pri-
vatis hominibus perpetratum omnium iudicio
vituperandum haberetur, idem, patriae cari-
tatis causa interposita, et honestum et laude
dignum censeatur. Hinc divinae legi fraternalae
caritatis, qua gentes populique omnes devincti
in unam familiam coalescent sub uno Patre
qui in caelis est, odium succedat necesse est

¹ Sap., XI, 17.

¹ Cfr. I Tim., VI, 10.

omnibus exitiale; in re autem publica gerenda leges sacrae, cuiuslibet civilis vitae cultusque norma, concilcentur; firma iuris fideique fundamenta evertantur, quibus res publica innititur; tradita denique a maioribus instituta corrumpantur atque obliterentur, quae in Deo colendo eiusque lege firmiter servanda vigentem usque civitatum florem columenque tutissimum reponeant.

« At vero — quod malorum omnium periculosisimum dixeris — cuiusvis ordinis eversores, sive Communistae sive alio nomine appellantur, in tanta morum perturbatione gravissimas rei oeconomiae angustias exag-gerantes, eo vires summa audacia intendunt, ut, quolibet freno a cervicibus excusso le-gisque cum humanae tum divinae vinculis praecisis, in religionem omnem ipsumque in Deum bellum atrocissimum commoveant: illud sibi proponentes ut ex hominum mente, vel inde a tenellula aetate, notitiam sensum-que religionis radicitus extirpent; quem probe sciant, divina lege doctrinaque ex hominum mente deleta, nihil sibi arrogare non posse. Atque ita, quod nunquam usquam legimus accidisse, oculis cernimus impios homines, nefando furore agitatos, vexilla contra Deum religionemque omnem ubique gentium terrarumque impudenter extulisse.

« Quod si nunquam, cursu temporum, improbi viri defuere, neque qui Deum esse negarent, ii tamen et numero perpauci, singuli ac singulares, impiam suam mentem apertius prodere vel metuebant vel inoppor-tunum putabant. Quod divino spiritu afflatus innuisse Psaltes videtur iis verbis: « Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus »;¹ quasi videlicet huiusmodi impium induxerit, veluti in multitudine solitarium, negantem quidem Factorem suum Deum esse, hoc tam-scelus intimo in animo comprimentem. Verum, hac nostra aetate, perniciosissimus hic error, late iam in vulgus propagatus, in ipsas populares scholas insinuatur palamque

se in theatris manifestat: quo autem latius usque possit effluere, eiusdem fautores vel a recentissime inventis, cinematographicis, quas dicunt, scenis, grammophonicis ac radiophonicis concentibus sermonibusque, opem pe-tunt; propriis officinis librariis praediti, operas omnibus linguis excludunt, pompas agunt triumphantium more, suaque impietatis mo-numenta et documenta publice proponunt. Nec satis; at in factiones politicas, oecono-micas, militares distributi arcteque consociati, per suos praecones qua comitiis, qua imaginibus tabellisque, ceterisque omnibus quibus sua placita clam palam possint in omnes or-dines, coetus, trivia diffundere, impigre in tam scelestum opus incumbunt; cui ulterius provehendo, suarum Studiorum Universitat-um auctoritate operaque suffulti, illud tan-dem nervosa industria pervincunt, ut incau-tos in suum gregem cooptatos validissime constringant. Quam navitatem adeo sollertem in nefariae causae commodum collocatam Nobis conspicientibus, menti labiisque ultro subit moestissima illa Christi Domini querela: « Filii huius saeculi prudentiores filii lucis in generatione sua sunt ».²

« Age vero, tam iniquae factionis duces autoresque, hodiernam rerum omnium inopia-iam in suam rem derivantes, toti sunt ut nefandis cavillationibus Deum religionemque apud plebem, tamquam tantorum malorum causam, criminentur; Christi Servatoris Crux ipsa sacrosancta, humilitatis paupertatisque insigne, cum hodiernae iuperandi libidinis insignibus componatur: quasi videlicet religio cum tenebris illis converniculis, quae tantam orbi universo molem molestiarum in-tulerunt, amico foedere consociaretur. Atque hac ratione, nec sine exitiali exitu, contendunt ut victus cotidiani decertationes postu-lationesque praedii proprii possidendi, ae-quae mercedis, honesti domicilii, eius denique vitae condicionis, quae hominem non dede-reat, cum bello nefario in Deum permisceant.

¹ Ps. XIII. 1, et LII. 1.

² Luc., XVI, 8.

Addé quod iidem, modum omnem exceden-tes, legitimas naturae appetitionis effrenasque cupiditates iuxta reputent, dummodo impiis consiliis institutisque suis id conducere vi-deatur; perinde ac leges aeternae divinitus promulgatae ab hominum felicitate discre-parent, cuius potius sint certissimae effectrices custodesque, aut vires humanae, ut ut no-vissimis artium inventis instructae, contra Dei Optimi Maximi potentissimam voluntatem, novum orbi rerum ordinem eundemque potiorem adducere valerent.

« Iamvero, quod sane dolendum est, ho-mines paene infiniti, rati se pro victu cultu-que dimicare, notione veri funditus eversa, huiusmodi commentis adhaerentes, in Deum religionemque conviciis invehuntur. Neque in unam catholicam religionem, verum in eas omnes, quae Deum adspectabilis huius mundi auctorem agnoscent rerumque om-nium moderatorem supremum. Sectae autem clandestinae, suapte natura, semper Dei Ec-clesiaeque hostibus — quicumque demum ii sint — adiumento esse paratissimae, vesano huic odio, unde nullius ordinis civilis aut quies aut felicitas, at certa civitatum ruina profici-sunt, novos usque igniculos addere conantur.

Itaque nova haec impietatis forma, prae-potentium hominis libidinum habens dum laxat, impudentissime conclamat pacem aut felicitatem fore nullam in terra, dum religio-nis ultimum vestigium radicitus non fuerit exturbatum, ultimusque religionis assecla obtruncatus. Quasi vero mirabilem illum con-centum, quo creata omnia « enarrant gloriam Dei »,¹ aeterno silentio premi posse opin-arentur ».

(Ad proximum numerum).

¹ Ps. XVIII, 2.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, et uterque Poenus

Serviat uni.

HORATIUS.

ANNALES

Novus Gallicae reipublicae pra-e-ses.

In locum Doumer, Gallicae reipublicae praesidis, nefarie, uti diximus, interempti, Civilis Galliae Coetus, Albertum Lebrun, usque nunc Senatus praesidem, elegit; qui Tardieu eiusque collegis a gubernii mu-nere de more abdicantibus, Henriot sufficit, ut novum administratorum collegium componeret.

* *

Helvetici conventus.

Hic itaque Helveticis proximis conven-tibus, Genevensi scilicet pro discessu ab armis ac Lausanensi de belli damnis refi-ciendis, pro Gallia intererit. Non tamen is unus erit novus ibi popolorum procurator; Bruening enim, Germanici gubernii pree-fectus, Buresh Austriaci, et Venizelos Graeci, et ipsi magistratu se abdicarunt. Novane inde atque diversa de tamdiu ex-agitatis argumentis consilia? Dummodo tamen tandem aliquando ad certam defini-tamque rem perveniant! Austria interim ex inopia rei pecuniariae Societatis Natio-num auxilium implorat; Germania im-parem solvendis debitibus se protestatur; atque periti ex singulis nationibus delecti, in studia sua incumbunt...

* *

Ex Iaponia.

Ex Iaponia necopinatum facinus nun-ciatur. Senex enim administer primus Inu-kai a quibusdam militiae tironibus, cuidam secretae factioni addictis, cui horrendus titulus: « Fraternitas sanguinis », manu-ballistae ictibus est confossus. Ei successit navarcha Salto, a quo « nationalistae »

repetunt actuosam coercionem in eos, qui novo Manchouriano regimini adversantur. Brevi itaque fortasse conflictationes illuc rursus instauratas audiemus.

POPLICOLA.

oooooooooooooooooooo

VARIA

Sorex, Ranae et Sol.

Sorex nasutus, cui magna cum Ranis gratia erat, quique singulis ferme diebus cum iis fabulatur plures horas morabantur, quo tempore bacchanalia festa apud Sorices agebantur, propinquos et amicos invisere cupiens, peregre abierat. Ranae hoc solatio destituae, quum eius desiderium ferre non possent, in dies tabescabant: tanta iis inde aegritudo enata est. Tandem in patriam est reversus, et illico ad lacum proiectus, quem ranae incolebant, has, acute mintriens, salvere iussit.

Ranae, Soricis voce audita, exsiliunt, atque hilares ad lacus oram festinant: « Oh amice! tandem te conspiciendum praebes? Quo te conieciisti? Ubi tamdiu latuisti? Aetatem te non vidisse nobis videmur. Quid miserae in te peccavimus, qui conspectu et alloquo tuo nos tamdiu carere voluisti? Suspicabamur equidem, vitam posuisse, aut certe in gravem morbum coniectum esse. Verum salvum te nunc et bellum reversum videntes, maxime gaudemus ». Tum Sorex, qui apud Ranas commodus orator habebatur, surrexit, sique verba fecit:

« Pergrata quidem mihi est amicitia vestra, dulcisque consuetudo, ac quanti utramque antea fecerim, vestrum nullam admodum fugere existimo. Siquidem, si bene meministis, pauci dies praeterierunt, quin vos convenirem, pluresque horas

vobiscum commorarer. Sed vos fallat nolo, plures mihi pluribus in locis cognatos esse et amicos, quos me identidem invisere opus est. Horum plures annum non adieram nec videram; aequum ergo erat, ut huic officio quamprimum satisfacerem. Satisfeci; nec enim me vobis tantum debere existimaveram, ut vestri causa propinquos, nedum amicos, negligerem. Alia praeterea me ad hanc peregrinationem suscipiendam causa impulit, et haec est, quod qui se domi usque continent, eos fugiant necesse est quae in mundo fiunt vel dicuntur; unde plura solent incommoda proficisci ».

Quum Sorex haec et alia plura effundenter, conticuere Ranae intentaeque ora tenebant. Tum denique, quum dicendi fecit finem, quaedam ex illis, quae ceteris eloquendi facultate praestare dicebatur, cunctis silentibus et audientibus, sic Sorici respondit: « Amice, satis prudenter dixisti: pro te sane pugnat ratio: vera, qui tuus mos est, protulisti, teque probabiliter purgasti. Sed te valde amabimus, si quae cognitione digna aut vidisti, aut audisti, aut quomodocumque comperisti, nos non celaris ».

Tum Sorex: « Libenter — inquit — studio vestro satisfaciā, ac multa quidem nunc mihi occurunt, quae vos non aegre audituras puto, quaeque alias vos docebo. Nunc unum enarrabo, quod non levioris momenti est, quodque vos fortasse latet. Rumor est, Solem, liberos procreandi cupidum, velle ducere uxorem. Deorum nullus eius consilium improbat, imo nonnullos audivi dicentes, eorum plures a Sole vocatos esse ad nuptias, et promisisse.

Quando nuptiae futurae sint, omnibus est incertum. Verum mihi et omnibus, qui de hac re loquebantur, videntur non diu dilatum iri ».

Ranas, haec audientes, vehemens cura incessit, quae una voce clamitare coeperrunt: « Vae, vae nobis, si vera sunt quae narras! » — « Verane sint an falsa — re-

spondit Sorex — id me fugit; hoc tamen vobis pro certo affirmare possum, hanc opinionem adeo convaluisse, ut et per urbes et per agros omnibus solus hic sermo sit. Verum quid inde mali pertimescit? Evidem si ex Sole liberi nascantur, id unum futurum censeo, ut frigore non encemur ».

Cui Ranae: Hosne tu nobis ludos facis? Itane mala nostra irrides? Dii te omnes Deaeque perdant! An te praeterit, eiusmodi esse naturam nostram, ut extra aquam vivere non possimus? Si nunc, unus quum sit, omnes exurit lacus, quid futurum censes si crearit liberos? »

Tum Sorex: Haud insane metuitis; haec cogitatio animum meum nondum subierat. Miserrima sane futura vestra conditio est, si forte accidat, ut liberos Sol procreet. Me vestri maxime miseret, et serio rem nunc agitans, vix lacrymas possum cohibere ».

Hic Ranae obstrepere, sortem suam lamentari, eiulare, furore agi, Solem maledictis lacessere, Deos levitatis arguere. Deinde imum stagnum petierunt, brevique nimio dolore extinctae traduntur. Sorex autem ad suos reversus ea de re diligenter inquirens, quum comperisset rumorem illum inanem esse, nulla interposita mora, ad lacum rursus properavit, ut Ranas metu et aegrimonia relevaret. Verum hae vitam iam posuerant. Quare Soricem loquacitatis suae valde poenituit; a iocis se ad seria convertit, suosque ita monuit: « Audite me, adulescentes, experientia edoctum. Si vitam inoffensam transigere cupitis, rem vestram curate, non alienam, neve faciles aures vagis rumoribus praebeat. Ea nunc sunt tempora, ut nulli quidquam credere possis. Caute et paucula loquimini. Quae aegritudinem alicui aut incommodum partitura sint, ea ne pandatis. Quod vobis suadere nitor, id mihi certum est consilium inire ».

* * * Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pasta vermiculata ad Bononiensem morem.

Vitulus elixus fungorum suco made-factus.

Scriblita ex spinaciis oleraceis
Anates assae cum acetariis.
Cerasa mulso confecta.

* * * locosa.

Tuccio amicus:

— Saepius te vidi crenum edentem ante speculum. Cur ita?

— Quia tum mihi videor cremi duplo perfrui.

Tuccius in schola.

Magister, postquam de variis plantarum morbis disseruit, uvae frondem maculis pollutam Tuccio exhibet interrogans an recognoscat quo morbo planta illa afficiatur.

Tuccius prompte: — Peripneumonia, hercle!

MAGISTER: — Peripneumoniam dixisti? Numne de animali agitur?

TUCCIAS: — Ecquid? Nonne ipse tu frondes dixisti plantarum pulmones esse?

* * * Aenigmata.

I.

Pabula significo, quae iactat vel levis aura.

Rho mihi subnectas: collo dependo tauri.

II.

Coquum diu voco, coquus vocantem me Coquit, inde coctum devorat, coquit rusus.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) Omen, Nemo; 2) Phoenix.



[8]

DE ROBERTI SCOTTI

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Nullae herbae, nullae bestiae sunt in partibus interioribus; ad littora et in circos confusis maribus animantium magna varietas.

Deinde illa glacies, qua tota riget antarctis, amplitudine, granditate, magnificentia longe arctum superat. Hic licet intueri, qualis fuerit facies quarundam terrae partium certis temporibus glaciatarum.

Et mirabimur, si qui sint ea fortitudine viri, ut penetrare audeant horrida illa et inhospitalia loca, si rerum physicarum professoribus ea, quae ad cognitionem terrae defuerunt, suppeditent. Arcticarum demum expeditionum usi documentis geologi designabant formam terrae universae, multumque iuvabuntur in explicanda terrae historia. Quid? Illud non ad perficiendam scientiam geologicam pertinere dicemus, certum illinc afferri nuntium, quod in summis terrae montibus et sub arcto cognitum est: minui paullatim glaciem atque recedere, aut certe illui; sub antarctica glacie prodire submarina flumina etiam tropicis terrae partibus afferentia gelidama quam?

Zoologi disputabunt, quid sit causae, cur tam similes sint ad utrumque polum formae animantium.

Meteorologi fatebuntur de caeli et tempestatum se rationibus non ante certo statuturos, quam acceperint, quae diligenter observata sint thermometro et anemometro in regionibus antarcticis, quarum inaudita frigora insolitosque ventos non mediocrem habere vim ad temperandam regionem aëriam, quam non vereor communis hodiernorum populorum vocabulo « atmosphaeram » nominare, confessa res est.

O MAR 45

Porro physicorum interest observari rationes magneticas terrae antarcticae adhuc parum compertas in meridiana hemisphaera navigantibus.

Quin etiam spes est fore aliquando, ut in nostrum orbem advehantur carbones fodinis repetiti antarcticis, et ut, perpetua venatione rarescente iam in aquis septentrionalibus balenarum et phocarum genere, antarctica maria a piscatoribus adeantur.

Haec omnia et multa alia, quum ab iis qui viderint exspectentur summus tribui solet investigatoribus antarcticis honor non modo ab iis, qui rerum naturalium studiis dediderunt vitam viresque, sed etiam ab illis, qui de illis studiis deque progressu scientiae humanae possunt judicare.

Shackleton ex antarctide reversus anno 1909, IV kal. Iul., Londini mirificis est exornatus laudibus. In magno hominum nobilium doctissimorumque virorum consessu de suo itinere fecit verba. Secutae sunt epulæ ab regia societate geographorum apparatae, quibus ipse rex Anglorum praeerat. Interfuit etiam Scottus, neque est dubium, quin ipse, quod res declarabat, tacitus cogitaverit Shackletoni rem non successuram fuisse nisi is, quae paulo ante sui itineris socius didicisset, partim imitatus esset, partim perfectiora reddidisset.

(Sequitur) *de strati et regionibus antarcticis*
onibus mundi III. A. HABERL.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.